

184

I
e 217

~~D. W. 41~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

IC. 217.

SIGNAT. cl̄is̄is̄CCCXIII.



SACRA SOLENNIA
BETHABAR - ENON-
JORDAN
MACHERVNTICA
DIE FESTO
MARTYRIO
IOHANNIS BAPTISTÆ
REPETITA

A

SAMVELE SEVERINI
V. D. M. HVNGARO.

Judicet ille, qui ad pronuncian-
dum nullo odio, nulla offensione,
nulla levitate ducitur. Ambrosius.

VITEMBERGÆ
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.
Anno M D CC XXXIII.

nr. 22.

Pann. Alumnor. Bibliotheca
donat

Paulus Maior Cem. Hung.
ht. Biblioth. 1737
d. 20 Septemb.

PERILLVSTRI BVS AC GENERO-
SIS DOMINIS,

D O M I N I S,

PERILLVSTRI DN. ALEXIO,

PERILL. DN. JOSEPHO,

PERILL. DN. ANDREAE

DE KOSTOLAN,

FRATRIBVS GERMANIS,

VIRTUTE ET GENERE SPECTABILIBVS,

DOMINIS SVIS

GRATIOSISSIMIS

SACRA HAEC

DEBITA PIETATE DEDICAT

AVCTOR AVLICVS CONCIONATOR.

ETIAMS VITAE ET MORUM

SIS HOMINIS

DOMINIS

CHRISTIANI DN. ALEXIO

REVERENDI DN. JOSEPHO

REVERENDI DN. ANDREA

DE KOSTORAN

FRATRIBUS GERMANIS

VITAE ET MORUM SPECTABILIS

DOMINIS SVIS

GELTISSIMIS

SACHA HANC

BEATAE VIRGINIS MARIAE

AVCTOR AVIUCTI CONCORDIAE



PARS I.

DE THEOLOGICIS DOGMATIBVS

CAPVT I.

DE SCRIPTVRA SACRA

§. I.

Datur verbum DEI Scriptum,
fundamentum credendorum
& agendorum. *Job. I, 17. Lex per
Mosem data, Gratia & veritas per
Iesum C. facta est.*

§. 2. Auctor huius verbi salvi-
fici ipse Deus est, *Job. I, 33. qui me
misit baptizare, ille mihi dixit.*

§. 3. Ministri, quibus sanctissi-
mo Numini uti placuit, sunt Mo-
ses, *Job. I, 17. Lex per Mosem: Esaias,
Malachias. Job. I, 23: Ego sum vox
clamantis: & ultima hora ipse Dei
filius, Job. I, 18: Deum nemo vidit*

*unquam, unigenitus filius ille enar-
ravit.*

§. 4. Dispersitur totum hoc ver-
bum Divinum in duo summa Ca-
pita: Legem, qua imperat, & mi-
natur, & Evangelium, quo homi-
nes lapsos invitat, & gratiam of-
fert, *Joh. I, 17. Lex per Moſem, gra-
tia & veritas per Jeſum Chriſtum
facta eſt.*

§. 5. Nucleus univerſæ Scriptu-
ræ Sacræ JESVS Nazarenus eſt, ſub
Auguſto natus, ſub Tiberio cele-
bris. *Matth. XI, 3: tunc ille eſ, qui
venturus erat, an alium expectare
debemus.*

§. 6. Pertinet ergo hoc verbum
ad omnes homines, voluntate Dei
antecedente; *Deus vult, omnes homi-
nes ſalvos fieri. 1. Tim. II, 4.* eſt
voluntate conſequentem, ſolos cre-
dentes, ſalvet: *Joh. I, 12. Qui cre-
dunt in nomen ejus, iis poteſtatem
dat,*

dat, filios Dei fieri. Et ubicunque est hoc verbum non est inanis aliquis & vanus sonus, sed sapientia & potentia DEI ad salutem, *Matth. III, 11. Luc. III, 16. baptisabit Spiritu & igne.*

§. 7. Traditionibus non scriptis non est opus. Conscriptam habemus Legem, conscriptum Evangelium, *Job. I, 17. Lex per Moysen, gratia &c.*

§. 8. Scopus universæ Scripturæ S. ex parte hominum primus, Fides, ultimus, salus est, *Job. III, 36. Qui credit in filium, habet vitam æternam.*

CAPVT II.

DE

D E O.

§. I.

DEus est unitrinus, unus in essentia, trinus in personis,

A 4

Job.

Job. I, 33. qui me misit baptizare
(prima persona) *super quem videbis*
(secunda persona) *Spiritum descen-*
dentem (tertia persona.)

§. 2. Est vero hic Deus, Pater,
qui ab æterno, in sinu suo, vere &
proprie genuit filium, *Job. I, 18.*
Unigenitus ille filius; qui est in sinu
Patris.

§. 3. Nec minus Deus hic unus
in essentia, est Filius ab æterno a
Patre genitus, Deus verus de Deo
vero, *Job. I, 34. Ego vidi & testi-*
monium dedi, quod ille ipse sit filius,
Dei.

§. 4. Filius vero non factus sed
natus, non in tempore, sed ab æ-
terno, *Job. III, 31: Qui desursum*
venit, super omnes est, qui de Coelo
venit, super omnes est.

§. 5. Idem Deus unus in essen-
tia, est etiam Spiritus S. a Patre &
Filio ab æterno procedens, *Job.*
I, 32:

*I, 32: Vidi Spiritum descendentem,
quasi columbam de Coelo, & mansit
super eum.*

§. 6. Etli vero Numen hoc
Coeleste aliqua ratione per natu-
ram innotescat, sufficienter tamen
ex sola reuelatione cognoscitur,
*Job. I, 18: Deum nemo uidit un-
quam, unigenitus filius ille enarra-
uit.*

§. 7. Ratio et Revelatio docent
Deum esse iustum peccatorum vin-
dicem, *Matth. III, 7: venturam
iram: sed & summopere miseri-
cordem, Matth. III, 2. appropin-
quavit Regnum Coelorum: hinc in
minis & promissis veracissimum,
Matth. III, 10: Quaelibet arbor non
ferens fructum bonum excindetur,
Job. III, 28: Missus sum ante Mes-
siam.*

CAPVT III.
DE
P E C C A T O.

§. 1.

Integer vitæ scelerisque purus
creatus est, ab hoc Sapiientissi-
mo Numine, homo, quem tamen
seduxit serpens vipera, *Matth. III,*
7. Luc. III, 7. Progenies viperina.

§. 2. Amisit itaque imaginem
Divinam totum lapsum Genus hu-
manum, naturamque, indolem &
genus ex serpente antiquo obti-
nuit, *Luc. III, 7. Progenies vipe-
rina.*

§. 3. Per parentes enim ad libe-
ros, ut anima, ita adiacens quoque
animæ vitium propagatur l. c. *Pro-
genies viperina.*

§. 4. Hinc a conceptione omnes
homines obnoxii iræ Divinæ, &
maledictioni. l. c. *Quis vos docuit
evitare venturam iram.*

§. 5.

§. 5. Vt adeo totus mundus in peccato periclitetur, *Job. I, Peccatum mundi.*

§. 6. Qui de naturali propagatione animæ per parentes ad liberos dubitant, illi nec de peccato originis certi aliquid statuere possunt, accidens enim non est sine subiecto, *Matth. III, 9: Patrem habemus Abraham. Progenies viperina.*

CAPVT IV.

DE

PATERNA DEI PATRIS DILECTIONE.

§. 1.

Pater ad amavit nos in dilecto Filio suo, *Job. III, 35. Pater diligit Filium.*

§. 2. Elegit nos ante iacta mundi fundamenta ad vitam æternam, promisit & dedit toti mundo Sal-

A 6

vato-

vatozem *Job. III, 34. Ille, quem
Deus misit.*

§. 3. Mittit semper tabellarios,
qui voluntatem suam hominibus
annuncient, *Job. I, 23: Vox cla-
mantis in deserto: & Sacramenta
administrent, Job. I, 31: Veni ba-
ptisans aqua ad testificandum.*

CAPVT V.

DE

FRATERNA JESV CHRISTI REDEMPTIONE.

§. I.

Salvatoris nostri nomen JESVS,
cognomen Messias, seu Chri-
stus est, *Job. I, 17: Gratia & veri-
tas per Jesum Christum facta est,
Job. I, 20: Ego non sum Christus,
Job. III, 28. Dixi, non sum Chri-
stus, sed eius præcursor.*

§. 2. Est vero ille verus Deus
lumen de lumine, hoc est filius
Dei,

Dei, *Job. I, 18. 34: Unigenitus filius DEI: ille ipse filius DEI, simul tamen ex Patribus secundum carnem, Job. I, 27. Qui post me venit.*

§. 3. Hinc in unitate personæ homo Deus et noster unicus Salvator, *Job. I, 16: Ex plenitudine ipsius accipimus gratiam pro gratia omnes.*

§. 4. Communicata enim ei sunt secundum Humanam Naturam Idiomatica Divina, *Job. III, 34. Non enim ad mensuram Deus ei dedit Spiritum. Unde fluunt Idiomatica, Job. I, 36: Ecce agnus Dei; Axioma, Job. III, 35. Pater omnia dedit in manus eius: Apotelesma, Job. I, 29: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.*

§. 5. Hinc hic ipse est Propheeta magnus, *Job. III, 32: Quod vidit & audivit, hoc testatur; est sacerdos cum sacrificio, Job. I, 29:*

Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi: est rex omnia regens, & gubernans, Job. III, 35. Pater omnia tradidit in manus Filii.

§. 6. Exinanivit se tamen, dum iure & Maiestate sua non est usus, *Job. I, 26: In medio vestrum stat, quem vos non nostis: & obedientia sua activa & passiva usque ad mortem crucis pro omnibus omnium hominum peccatis fecit satis, Job. I, 29. Ecce agnus Dei.*

§. 7. Revelabitur tamen gloria eius tum applausu & miraculis, *Job. III, 30. Illum oportet crescere: tum Sessione ad dextram Patris, Job. III, 35. Pater omnia dedit in manus Filii.*

CAP.

CAPVT VI.

DE

GRATIA SPIRITVS S. AP-
PLICATRICE.

§. I.

Parta per Christum beneficia per Spiritum Sanctum applicantur, *Matth. III, 16: Vidi Spiritum S. descendentem sicuti columbam, Luc. III, 16: Baptisabit vos Spiritu & igne.*

§. 2. Vocat ad hæc beneficia Spiritus S. omnes, nolens mortem volens vitam. *Vox clamantis in deserto. Joh. I, 23.*

§. 3. Qui Spiritui S. non reluctantur, regenerantur in filios Dei, *Luc. III, 8. Potest Deus ex lapidibus excitare semen Abrahæ: convertuntur per poenitentiam in vera contritione & fide ad Deum, Matth. III, 2: Agite poenitentiam, appropinquavit Regnum Coelorum.*

§. 4.

§. 4. Iustificati sic sola fide, *Joh. III, 36: Qui credit in Filium, habet vitam æternam: habent pacem cum Deo, Luc. III, 7. evitare venturam iram: certissimamque spem consequendæ salutis æternæ. Qui credit in filium habet vitam æternam.*

§. 5. Quam electionem suam & salutem, dum ex parte sua firmam facere volunt, bonis operibus ex initione in Christum student, *Matth. III, 8: ferte fructus dignos poenitentia.*

§. 6. Regenitos, conversos, iustificatos intime secum unit mysterio magno Jesus Christus, *Joh. III, 29: Qui habet Sponsam, Sponsus est.*

§. 7. Et ipse Spiritus Sanctus templa sua non modo donorum, sed & ipsius substantiæ approximatione exornat & munit, *Luc. III,*

22: & descendit Spiritus S. corporali
specie sicut columba.

§. 8. Præter dona DEI sanctifi-
cantia dantur etiam ministrantia,
*Matth. Luc. Job. Ego baptiso vos
aqua, ille autem baptisabit Spiritu
& igne.*

CAPVT VII.

DE

MEDIIS SALVTIS.

§. I.

Placuit sapientiæ Divinæ hanc
gratiam certis externis signis
includere, *Matth. III, 11: Ego ba-
ptiso vos aqua. Vox clamantis.*

§. 2. Commune veteris cum no-
vo instrumento signum verbum
est, idque tam terrentis, accusantis,
ac damnantis legis, *Luc. III, 7.
Progenies viperina: quam consolant-
is ac confirmantis Evangelii: ap-
propinquavit Regnum Coelorum.*

§. 3.

§. 3. Proprium Novi Testamen-
ti baptisina est, quod neque ab ho-
minibus, neque per homines inven-
tum, sed ab ipso Numine primum
traditum est hominibus *Job. I, 33.*
qui me misit baptisare.

§. 4. Nihil illud ex se, sed om-
nia ex Christo & lytro eius San-
ctissimo operatur & confert, *Matth.*
III, 11: Ego baptiso vos aqua, qui
post me venit, fortior est me.

§. 5. Operatur enim fidem per
applicationem Christi, & propter
Christum cum homine unitum uni-
versam salutem confert, *Matth.*
*III, 11. Ego baptiso vos aqua in poe-
nitentiam. Job. III, 15. 16. 36. qui*
credit in filium habet vitam æter-
nam.

§. 6. Unde baptisati Regeniti in
filios Dei ferunt fructus filiis Dei
dignos ut conformentur imagini
DEI, & renuncient ipso actu vo-
lunta-

luntati Diaboli, *Luc. III, 8: Ferte fructus dignos poenitentia.*

§. 7. Occasione ergo baptismi, baptisandis, corruptio omnium virium, verbis durioribus, tum ob eos ipsos, tum ob alios, declaranda erit. *Progenies viperina.*

§. 8. Baptismus Johannis cum Christi & nostro specie idem est, *Matth. III, 14. Ego a te debeo baptisari, & tu venis ad me.*

CAPVT VIII.

DE

ECCLESIA.

§. I.

Est coetus quidam a reliquis distinctus populus Dei, est vera a Deo evocata & collecta Ecclesia, *Matth. III, 9. Arabam & filii.*

§. 2. Signum veræ huius Ecclesie ab initio mundi ad finem duraturæ cognoscendæ ultimario unicum

cum est: pura verbi Divini prædicatione, *Job. III, 33. qui acceperit eius testimonium, signavit, quod Deus verax sit.*

§. 3. Neque tamen ita alicui Genti, vel loco alligata est, ut non aliorum transferri possit, *Matth. III, 9: Ne velitis dicere apud vos: Patrem habemus Abraham, potest enim Deus ex lapidibus excitare Semen Abrahamæ.*

§. 4. Immo dum ingratum & inutilem illum populum, cui sua mysteria credidit, conspicit, cardelabrum suum movet, hominesque illos temporalibus & æternis poenis relinquit, *Matth. III, 10: Jam securis ad radices arborum posita est, omnis arbor, quæ non fecit fructum bonum exscindetur & mittetur in ignem.*

§. 5. Sicut autem corporis unius, unum tantum caput est, ita sponsa
unico

unico gaudet marito & domino,
*Job. III, 29. Qui habet sponsam
sponsus est.*

CAPVT IX.

DE

MEMBRIS ECCLESIAE.

§. I.

Datur status hominum peculia-
ris, qui doceant, & Sacramen-
ta administrent, ex institutione Dei;
*Job. I, 31: Ut manifestaretur illi
Israeli propterea veni ego baptisans
aqua.*

§. 2. Atque hic instructissimus
etiam nemo currere debet, voca-
tio enim externa est necessaria,
*Job. III, 27: Non potest homo acci-
pere quicquam, nisi fuerit ei datum
de Coelo.*

§. 3. Debet ministerium verbi,
Magistratui quoque Divinam in-
culcare voluntatem, nec minus
poenas

poenas imminentes ob oculos po-
nere, praesentes applicare. *Marc.*
VI, 18: Non licet tibi habere uxorem
fratris tui.

§. 4. Neque enim Ecclesia abro-
gat Politiam, sed sustentat, & pro-
mouet, *Luc. III, 13. 14. Nihil am-*
plius, quam constitutum est, accipia-
tis. Contenti estote stipendiis Vestris.

§. 5. Etenim Magistratum gere-
re licet superiorem & inferiorem,
licet gerere bellum. *Contenti esto-*
re stipendiis.

§. 6. Ex plebe tamen ut pluri-
mos elegit, ita vocat & saluat Spi-
ritus S. *Job. I, 23. Vox clamantis*
in deserto.

CAPVT X.

DE

NOVISSIMIS.

§. I.

Post resurrectionem mortuorum
piorum & impiorum iudicium
ulti-

ultimum & universale celebrabit
JESVS CHRISTVS filius DEI,
*Matth. III, 12: Ventilabrum in ma-
nu eius.*

§. 2. Pii ibunt in vitam æternam,
& gaudium perenne. *Congregabit
triticum l. c.*

§. 3. Impii in mortem æternam
perpetuosque dolores *l. c. Paleas
comburet igne inextinguibili.*

PARS II.

DE

BAPTISMATE JOHANNIS.

§. I.

Non modo ad docendum, sed
& ad baptifandum mitteba-
tur Johannes, unde omnibus Ba-
ptista audire confuevit. Atque hic
conspiciendam sese nobis offert,
res, quam vocant, terrestris, quam
ad Dei mandatum usurpabat Johan-
nes. Aqua hæc fuit naturalis, quam
fontes,

fontes, fluvioli & Jordanus copiose suppeditare poterant. Neque enim alius liquor huic sancto instituto a DEO destinatus, hominibusque demandatus est, quam ille omnibus communis & consuetus, cuius ubique facile participes reddi possent homines. Aberant itaque apud Johannem præter aquam simplicem, & naturaliter puram omnia alia artificialia, abesse ibi quoque debebunt, ubi baptismus Johannis & Christi sine inquinamenti administrandum erit.

§. 2. Vidimus vehiculum, vidimus rem terrestrem, iam inspiciendum erit, quid vehat vehiculum, & quæ cum re terrestri coniuncta sit res Coelestis, videamus inquam rem baptismi Christiani coelestem. Notat enim quosdam, qui rem coelestem Baptismi plane negant, *D. Georg. König in Casibus*
Cate-

Catecheticis p. 239. ad hunc modum:
Eorum vero sententiam, qui dicunt:
cum habeamus materiam terrenam in
hoc sacramento necessariam, item
formulam baptisandi, nec non pro-
missionem de regeneratione, de cete-
ro, quantum materiam coelestem at-
tinet, non oportere nos anxie inqui-
rire, sed eo contentos vivere, quod
baptismus se habeat instar instrumen-
ti moralis, acutioribus ventilandam
relinquo. Qui illi sint, aut fue-
runt, in proclivi est conicere.
Verum rectissime pronunciat feli-
cissimus sacrarum literarum inter-
pres, genuinusque Lutheri disci-
pulus, Wolfgangus Franzius, Disp.
Theol. Vittemb. T. II. p. 748: Theo-
logos Augustanae Confessioni addi-
ctos confiteri omnino cum aqua con-
currere rem aliquam coelestem ac
Divinam, licet in specialissima eius
determinatione exprimenda non o-

B

mmes

mnes inter se convenient. Ecclesia enim Evangelica duo sibi æqualia credidit Novi instrumenti Sacramenta, quorum utrumque æque rem terrenam ac etiam coelestem possideret. Et cum sufficienter constet, dari rem terrestrem, simul tamen etiam Coelestem in Venerabili S. Coenæ Sacramento, definienda quoque erit res Coelestis baptismi, ne Sacramentum, vere & proprie, tantum unum, ne imparia, ratione virtutis, duo, ne plura alia admittantur, neque adversariis, contra quos hucusque argumenta, ex duobus tantum Sacramentis, in omnibus similibus petebantur, an-
sa detur calumniandi B. LUTHERVS, ut unionem liquidissime afferuit particulis: IN & CVM, quibus alioquin Unionem intimam inter Panem & Vinum, atque Corpus & Sangvinem Christi exprimere

mere solemus, non extrinsecam,
sed intrinsecam: ita rem terrestrem
æque ac coelestem expresse his in
Catechesi nominavit verbis p. 376:
*Baptismus non est simpliciter aqua;
sed aqua Divino mandato comprehen-
sa, & verbo Dei obsignata. Aqua
certe res tantas non efficit, sed ver-
bum Dei, quod IN & CVM aqua
est.* Aquam enim rem terrestrem
nominat, Coelestem verbum
Dei, seu Evangelium (Semen mu-
lieris conteret caput serpentis) in-
culcans. Media igitur salutis ve-
hicularum sunt, quae advehere id de-
bent homini, quo caret, & quo
obtento, fervetur. Duplex au-
tem est officium, mediorum, salutis,
exhibitorum, verbi & Sacramen-
torum: primum quidem offerre
λύτρον pro peccatis sufficiens;
alterum vero, propter illud, of-
ferre salutem & Coelum, quod of-
ficium

ficiū media gratiæ omnia ita exquisi-
site habere, & exercere debet, ne al-
terutro deficiente, mediorum sa-
lutis titulum & nomen frustra sibi
vindicent, cum, si utrumque non
adferant, homini nihil profint.
Quæ enim ratio mediorum exhi-
bitivorum, eadem quoque mediū
apprehendentis, seu fidei est. Nisi
enim datum fuerit homini, per me-
dia, λύτρον, & satisfactio pro pecca-
tis promissa vel præstita, absque
λύτρω nec salutem, nec Coelum,
sibi, peccator, promittere poterit
unquam. Atque hoc λύτρον, cum
non sit aliud, quam AGNVS DEI,
ab initio mundi, occisus, & satisfac-
tio Christi promissa & præstita ap-
plicata, hanc omnia media salutis
ferre, & conferre homini pecca-
tori primum & ante omnia est ne-
cesse. Nec de hoc dubitare nos
finit, medium salutis, quod ver-
bum

bum Evangelii nominamus: *Genes.*
III, 15. Job. III, 16: Semen mulie-
ris conteret caput serpentis, Ut fi-
lium suum unigenitum daret;
quippe cum hoc, primum *λύτρον*
nominet, tum seriem beneficio-
rum & ubertatem ex eo proma-
nantem commemoret. Et hoc
ipsum *λύτρον* præsentissimum in
omnibus mediis salutis, in Sacra-
mentis, singulari & eminenti mo-
do cum re terrestri unitum, a tem-
pore Irenæi *) Christianis, rei coe-
lestis nomine, venire solet, nec
enim aliud rem coelestem, quam
λύτρον exhiberi solitum in sacra

B 3

Domi-

*) Occasio huius locutionis repetenda est
ex Irenæo, qui dixit Sacramentum S.
Coenæ consistere ex re coelesti & re
terrena, *Job. III, 12. τὰ ἐπίγεια, καὶ*
τὰ ἐπουράνια Salvator commemorat.

Domini Coena, Corpus sangvini-
nemque Christi, nominavit beatus
Pater. Omnium enim optime, o-
mnium Sacramentorum in genere,
res coelestis, Christus REDEM-
TOR, seu satisfactio Christi statui-
tur. Si enim aliquam virtutem
habebant Sacramenta Veteris Te-
stamenti reconciliandis cum DEO
hominibus, hoc est regenerandis,
iustificandis, renovandis, & glori-
ficandis, quis hæc absque satisfac-
tione Christi applicata, ceremo-
niis quibusdam externis adscribe-
ret? cum utrobique, sanguinis ef-
fusio sanguinem expiatorium, &
λύτρον notans, demandata fuisset.
In Sacramento Eucharistiæ *λύτρον*
hoc & satisfactio Christi palpanda
se nobis offerunt, & concedunt: est
enim in specialissima determinatio-
ne Corpus Christi pro nobis in mor-
tem datum, profususque largiter
sanguis,

sanguis, adeoque unica satisfactio Christi. Neque aliter res se habet cum Sacramento Baptismi, habet illud non minus rem Coelestem, *Job. III, 3. ἀνοθεν de super* *) quam terrestrem, absque illa enim si foret, nullam secum vehere posset, quam, homini propria carenti, donaret, iustitiam: nullum pro peccatis λύτρον, ut adeo homo destitutus dono satisfactionis alienae, dum nihil apprehendere, quod iustitiae Divinae demonstrare, et in quo ultimo recumbere posset, in aeternum de salute sua desperare deberet. At bene est, Baptismus

B 4

enim

*) Nativitas sphaerae inferioris est ex Parentibus peccaminosis, unde caro de carne: Nativitas autem sphaerae superioris est ex Christo Domino de coelo, quem qui receperunt, dedit eis potestatem, filios DEI fieri, *Job. I, 12.*

enim non minus salutis medium
est, quam alia: offert siquidem ille,
primum quidem satisfactionem
Christi, deinde vero universa et-
iam bona ex hoc fluentia, ut adeo
hic quisque reperiat, tum in quo
fiducialiter recumbat, tum quod
abundantissime accipiat. Uti au-
tem in sacra Domini Coena *λύτρον*
primum a Christo applicatur: *Co-
medite, bibite*, nominatur: *Corpus
meum, Sanguis meus*, tum demum
satisfactionis huius copiosissimus
fructus promittitur: *in mei comme-
morationem, Matth. XXVI, 26*: ita
in Sacramento Baptismi utrumque
adsit, & offeratur, oportet, si ex
eius applicatione homo renasci,
iustificari, & salvari debeat. Fi-
des enim nunquam producetur,
nunquam firmabitur, si fidem ob-
iecto suo, vel in productione, vel
in Confirmatione, privaveris. Dum
ergo

ergo obiectum hoc fidei, *λύτρον*
Christi pro nobis solutum investi-
gandum est in Sacra Coena, cur in
Baptismo res ista Coelestis vel ne-
ganda penitus, vel non anxie in-
quirenda foret? sine qua præsentis-
sima, nunquam aqua hominem
DEO reconciliabit, vel a pec-
catis mundabit. Sine effusione
enim sanguinis, hoc est, sine
morte, non fit remissio pecca-
torum, *Ebr. IX, 22.* Ubicunque
ergo iustificamur, ibi præsentissi-
mam, applicatamque, animis no-
stris, satisfactionem Christi, rei ter-
renæ unitam credamus, necesse est.
Præsens enim est Christus in Ba-
ptismo, non externe tantum, insti-
tutione, merito & promissis, sed
& interne, ipsa substantia satisfa-
ctionis suæ, quam IN & CVM
aqua homini peccatori condonare
allaborat. Quod si enim absque
satisfactione sua regenerare, & sal-

vare per aquam nos valuisset,
(positiva aliqua virtute absoluto
decreto) sane neque pro nobis
mortuus fuisset, neque applicatio-
nem meriti sui tantopere urgeret.
Et in regno quidem naturæ insti-
tuit Deus serpentem æneum, qui
sanaret ictos a serpentibus, munda-
vit etiam Naamanum aqua fluvia-
tili, sola voluntate & omnipoten-
tia sua; quis autem hæc, vel Sacra-
menta diceret, vel talem Sanatio-
nem in regno Gratiaæ sine *λύτρω*
possibilem Deo esse ineptire vel-
let? Neque constat, quid velint,
qui rem Coelestem in Baptismo
negant, quando non aquam, sed
virtutem Dei cum aqua coniun-
ctam, regenerationem operari vo-
ciferantur. Virtus enim illa Dei
vel est in Christo, vel extra eum:
Si extra Christum, erit essentialis
Justitia iustificans, Osiandri, vel ab-
solu-

folutum aliquod decretum, extra
Christum non est falus: Si in Chri-
fto, virtus illa Dei eft ipfa fatisfa-
ctio Chrifti, & λύτρον, extra hanc
enim nulla reperitur in Deo virtus
falvandi lapfos in peccata homi-
nes. Neque eft, cur diffenfioni-
bus Theologorum offendamur,
cum eadem omnium mens fit, et
fententia, & verbis tantummodo
variant, dum alii generaliffimis, *)
alii ftrictioribus terminis rem Coe-
leftem Baptifmi enunciant. Abs-
que

B 6

que

*) Res Coeleftis baptifmi nimis oblique
dicitur S. S. Trinitas, Spiritus S. &
verbum DEI, cum nullum horum fit
pretium redemptionis pro captivo: pro-
pius ad λύτρον accedunt, qui vel fan-
guinem vel aquam ex latere Chrifti
profufam, rem Coelestem Baptifmi
aiunt.

que ambagibus, clarissime, Baptismi Johannis, nostrique, res coelestis, Christus Redemptor, mortuus & resuscitatus, seu mors & resurrectio Christi dicitur, ita ut satisfactio Christi in baptismo applicata specialissime per mortem, & resurrectionem Christi determinetur. *) Uti enim in sacra Domini Coena, satisfactio illa in genere, in specie fuit Corpus & Sanguis Christi: ita eadem in baptismo spe-

*) Articuli Visitationis Art. III. de Baptismo Theol. 3. rem ipsam ita exprimunt: omnes, qui in Christum Jesum baptizati sunt, in mortem eius baptizati sunt, & per baptismum cum ipso in mortem eius conscripti sunt, & Christum induerunt. Pius confessoribus, Christus mortuus & sepultus, vestis illa est, quam homo nudus IN & CVM aqua accipit in Baptismo.

specialissime per mortem & resurrectionem Christi determinatur. Hinc in Baptismo cum Christo morimur & resurgimus, *Rom. VI, 3. 4. 5. Colof. II, 12. Tit. III, 5. 6. Gal. III, 27.* Dicet aliquis : ex his locis facilius probari posse renovationem necessariam, quam Baptismi rem Coelestem; respondeo : Cuicumque rei adscribitur effectus Baptismi mediatus, illi competit & immediatus; at morti & resurrectioni adscribitur effectus mediatus, nempe renovatio, Er: illi etiam competit immediatus, nempe regeneratio. Quemadmodum autem in Sacramento Eucharistico sub specie Panis Corpus, sub specie Vini Sanguis Christi nobis offertur: ita in Baptismo cum aspersione, immersione, mors, cum reditu, resurrectio Salvatoris nostri nobis conferuntur, & donantur.

Quod cunque enim per signa externa exhibitiva significatur, *) illud & immediate applicatur, & est res, Sacramentorum, coelestis, hoc est corpus, hic est sanguis Il. cc: At in Baptismo per immersionem mors, per reditum, resurrectio Christi significatur, Ergo mors & resurrectio Christi, & immediate applicatur, & est res, Sacramentorum, coelestis. Et hæc divitiæ spiritus non Baptismo denegandæ, sed publice asserendæ, nostroque simul & Johannis Baptismo vindicandæ erunt constanter.

§. 3.

*) Significationem urgent Chrysostomus Tom. III. hom. 24. in Johan. Augustinus Serm. IV. de Symbolo, Ambros. Lib. II. de Sacram. C. VII.

§. 3. A materia Baptismi Johanni-
nitici progrediendum erit ad for-
mam, attendendumque verbis &
rebus, quibus ministrabat Johan-
nes. Verba initialia, *Matth. III,*
ii. ipse indicat: Ego vos baptiso
aqua, quod enim omnibus dixit,
id singulis etiam repetiisse est cen-
sendus; Essentialia *Job. I, 33.* de-
signat, ut adeo Salvator, *Matth.*
XXVIII. Formulam Johannis so-
lenniter tantum repetat, & disci-
pulis inculcet. Ad rem ipsam,
quod attinet, immersione bap-
tizzate Johannem omnes docent,
cum hac ratione omnium exquisi-
tissime mortem & resurrectionem
Christi repræsentare voluerit. Ne-
que tamen dubitare nos finit sta-
tus N. Testamenti, Johannem et-
iam aspersione, administraffe ba-
ptismum. Ut enim credibile
haud est, nullum fuisse moribun-
dum

dum toto tempore Baptifini Johannis, qui illud expetiiffet: ita certiffimum eft Johannem talibus ita occurriffe, ut, prout erant capaces, vel afperfone, baptifarentur. Utrumque enim Baptifmus fignificat, *Luc. X, 38.* Utrum vero femel tantum, an iterum & tertio merferit, non docent Evangeliftæ, fine dubio id libertati eius fuit relictum, ut omnia fieret omnibus. Canon Apostolicus L. trinam fanxit, quam ordinariam fuisse, primitivæ Ecclefiæ Patres, docent.

§. 4. Tandem, quid operatus fit Baptifmus Johannis, definendum refat. Cum adultis res erat Johanni potiffimum, qui initium vitæ Spiritualis confecuti, non amplius regenerandi fuerant. Hos per Baptifmum in Fide
&

& gratia Divina confirmabat, do-
nis Spiritus Sancti cumulabat¹, at-
que, ut bono animo, usque ad fi-
nem vitæ, essent, regnumque Coe-
lorum perpetuo possiderent,
efficiebat.

F I N I S.

PLVRIMVM REVERENDO
DN. SAMVELI SEVERINI
V. D. M. HVNGARO

^{S. P. D}
CHRISTOPH. HENRICVS
ZEIBICHIVS, D. P. P.

Male ageretur cum fidis divini
Verbi, apud Hungaros, Ministris,
siquidem G. ARNOLDI & stare, &
cadere auctoritate deberent. a) Ille
namque, tametsi negare non possit,
mox, a renata Evangelii luce, Vi-
tembergam confugisse Panno-
niae filios, & veritatis, redeuntis
nunc

a) Hist. Haer. P. II. L. XVI. c. 7. §. 22. p. 73.

nunc feliciter, testes, *Martinum Cyriacum*, Leutschoviensem, Rectore apud nos *Melanchthone*, A. 1522. Albo Academico insertum; b) A. 1524. postea, *Dionysium Linckium*, & *Balthasarem Elebergium*, quibus addo *Steph. Kopaczium*, *Michael. Szarai*, *Marcum Pemplingerum*: Postea tamen, nubilis cum primis, post A. 1670. temporibus, quae Nobiles, Pastores ac Scholae Ministros graviter afflixerunt, abductos scilicet ad gravissimos labores, fustigationes, imo, ad triremes quoque; c) Inculpationes demum ARNOLDI incipiunt, qui omnem hic culpam, pro more, in verbi divini Ministros coniicit, quorum scilicet, terrae

b) SECKENDORF. *Lutheran. L. I. §. 39. ur. 6. p. 241.* c) Conf. *Histor. Diplom. MSta. de Statu Relig. Evang. in Hungaria, in Nov-Antiq. 1709. p. 231. seqq. A. 1710. p. 337. seqq. Historia Reformat. Eccles. in Hungar. a Lampia locupletata, L. II. p. 50. seqq.*

rae deliciis captorum, negligentia, offensionis plenissima vita, agri potius, quam muneris, cura, hostibus convitiandi, expellendi, pingvibusque spartis inhiandi, occasionem dederint amplissimam. d) Ast enim, vituperari ab ARNOLDO, laudari est, ac meruisse de Ecclesia, praesumitur merito, qui huic iniquo rerum, in puriori cumprimis Ecclesia gestarum, aestimatori quam maxime sordet. TV, SEVERINE optime, qui hic τὰ σοιχῆα τῶν λογίων τῷ Θεῷ egentibus pandis, hoc simul peculiari studio agis, ut Sacra *Ioannis Baptistae*, in quibus etiam Augustanae nostrae Confessionis gloria cumprimis eluxit, in factis nostris, nova quasi animi religione notes. Applaudimus vel hoc nomine TIBI, quod εὐάρεστον illum

τῷ

d) ARNOLDVS l. c. P. II. p. 428. seqq.

τῶ Χριστῶ, e) pro more Alcibiadis
Silenorum, extus miserum, intus
excellentissimum, quorsum ab ipso
refertur ERASMO, f) Doctorem,
nemini, nedum Aristoteli, compa-
randum, g) Horizontem N. T. de
cuius rebus exponere ex instituto,
cum BVTTNERO, in inquisitione
in Historiam *Ioannis Baptistae*, &
WASEWIZIO, in *Turture Ioanneo*,
van TILL, qua Chronologica, WIT-
SIO, MERKENIO, in *Aurora N. T.*
imo & PERIONIO ac PAPEBRO-
CHIO, in *Actis Sanctorum*, CELLA-
RIO & LAMYO, qua carcerem &
supplicium, placuit, commemora-
re prae reliquis, maximique sic ho-
minum celebrare memoriam novo
stu-

e) Matth. XI, 7. seqq. Rom. XIV, 18. Col.
III, 20. Ebr. XIII, 21. f) Chiliad. III. Cent.
3. *Adag.* I. p. 539. B. Carpzov. *Offa virent.* I.
p. 1005. g) Theologi Colonienſes *Aristote-
lem Christi in naturalibus*, uti *Ioannem in gra-
tuitis*, Praecursorem vocabant. GEISSII *Siren-
Lebre*, p. 221.

studio nitaris. Meretur hoc excellentissimus inter Θεοδρόμους, h) de cuius temporibus antiqui gaudent; ἡ γὰρ ἡμεῖς ζωῆς ζήσομεθα; i) Meretur, μέγας ἡ ἐκ ἀγνωστος ὁ πρόδρομος, ut CYRILLO Ioannes audit, sicariis Herodis mire ereptus, k) & IVSTINI MARTYRIS elogio, Χρῆσθ τῆς πρώτης Φανερώσεως κήρυξ, qua σκληροδίαιτον, prae aliis memorabilis; l) Meretur *le petit grand homme* (Luc. I. 66.) quo nomine nuper *Don Claude del Valle y Hernandez* puerum, mature excellentissime doctum, Dux Cenomanensis appellitabat, m) quem efferramus, hoc nostro cum primis tempore,

h) IGNAT. *Ep. ad Smyrn.* c. XI. p. 12, FERRARIUS, *de antiq. Epistol. Ecclesiast. genere* L. III. c. 4. p. 13. 134. i) Sir. XLII, II. k) *Commentar. in Iob. I.* 15. Conf. CAVE *Vit. Apost.* p. 127 *seqq.* l) *Dialog. cum Tryph.* p. 1268. Conf. WITSII *Miscell. L. I. c. 21. p. 297.* m) *Lettre écrite de Paris au suiet de Don Claude. &c. &c. inde Nova erudit. Lips. A. 1732. p. 886.*

pore, ubi rem, iniquitatis plenissimam, nonnulli iudicant, Festam Ioannis, quod nos, non tam ob ipsius personam, quam reddita, huius Natali, Ecclesiae divina Prophe-
tarum de Christo vaticinia, servamus, festo celebrare ritu; Qua tamen divini cultus omissione, qui-
rus habitant, ignari, occasione discendi notabili privantur, nec sine dubia conscientia, laboribus, hac die communibus, indulgent. n)
Nec Proaedrias nos movemus, Ioannem Baptistam inter, & Evangelistam, certamen, quod de suis, cum fecerint hoc, in Lusitaniae quodam Coenobio, A. C. ZALVSKI memorat. o) Nec de digito Ioannis, ubi fit? qua spicea corona eius, circa mes-

n) *Effusa hic convitia vide in DAVT. Meditat., 27. Conf. PHILAL. IRENOPHILI Untersuchung, wegen der Union, p. III. seqq. Nov-Antiq. A. 1725. p. 763. o) Ex Epistol. eius Historico-Famil. Bücher-Saal. P. XXVI. p. 93. seqq.*

messum, coronandum sit simula-
crum? quibus forte draconibus me-
deantur igniculi IOANNEI? neque
de solenni *εὐρέσει* capitis, vel exal-
tatione corporis Ioannei, aut aliis
eius corporis, quae supersint, par-
tibus, multum laboramus; has sa-
ne THEODORITO & PHILO-
STORGIO memorantibus, Iuliani
tempore, Pagani, bestiarum ossibus
permixtas, concremarunt dudum,
ac cineres disperferunt. p) Innoxios
ergo servas, nobiscum, SEVERI-
NE, Baptistae maximi honores, nul-
li alias, ex muliere nato, tribuendos.
Hos sane nec *Don Iean d' Austria*
capiet, ob insignem licet victoriam
contra Turcos, vel a Pontifice ipso,
ex *Iob. I, 6.* compellatus: *Erat homo*
mis-

p) DORSCHÉVS, in *Pentad.* p. 355. TIL-
LEMONTIVS, H. E. T. I. P. I. ad Ioannis
nostrae vitam. HVNNII *Apostas.* p. 629. 633.
HEINECCII *Eecl. Gr. III.* p. 205. 234. Dn.
DEYLINGII *Obs. III,* p. 196. 207.

missus a DEO, nomen eius IOANNES;
Nec *Iean des Marests S. Serlin*, quem
Simon Morinus, d. II. Febr. A. 1662. Prae-
cursorem suum, (quandoquidem se pro-
filio DEI ipse habebat) vereque resusci-
tatum *Ioannem Baptistam*, declarabat. q)
Sordent haec nobis merito Fanaticorum
somnia, qui, quo tandem ruant, manife-
sto sic argumento docent. Sed enim, VIR
REVERENDE, abrumpo, ne requisita a
me epistola modum excedat. Sit Domi-
nus TEcum, & cum Ecclesia Vestra, ve-
ritatis, perire nesciae, observantissima.
Muro igneo, coelestium Excubiarum,
insultibus quibusvis superiorem, ean-
dem perpetuo cingat, antiquae semper,
quae Vitembergae floret, doctrinae, cum
filiis innumeris, sodalem. TV vero &
Hungariae litteratae, quam DAN.
CZVITTINGERVS dedit, infereris
merito, & Veritatis simul Testium cata-
logum augebis feliciter & ornabis. Scri-
bebam Vitembergae Saxonum, d. XII.
Decembr. MDCCXXXIII.

q) B. CARPZOV. *Lanx satur.* p. 658.
Magnifici LOESCHERI *Decim.* IV. p. 153.
seqq.


(X226 0044)

Z

S;
m
e-
ro.
i-
q)
m
e-
R
a
ni-
e-
aa.
n,
n-
r,
m
&
N.
is
a-
ri-
.
8.
3.







SACRA SOLENNIA
BETHABAR - ENON-
JORDAN
MACHERVNTICA
DIE FESTO
MARTYRIO
IOHANNIS BAPTISTÆ
REPETITA
A

SAMVELE SEVERINI
V. D. M. HVNGARO.

Judicet ille, qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla levitate ducitur. Ambrosius.

VITEMBERGÆ
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.
Anno M D CC XXXIII.

11. 22.